



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unſormas nos disp. 1.
- 3 Arieſocōs brevis de ſarō phyſicā ſuā in diſtinis M. Fied. 3. Alduini
- 4 Disp. de ſtō. ſcti tūm ſſora tūm officio. Hofmann.
- 5 Diſput. 1. de Coena Dni. eisdem. aſſerēs tō pōtēſtātē & mīſtā
- 6 Diſput. 4. de Coena Dni. Hofmanni. ex cap. 1. Cor. 10. ^{ſcōp. & ſcōm}
- 7 De noticijs Dni & voluntatij ipſius Hofmanni
- 8 Drey vnterſchiedli ſchreiben an d. Conſiſtorium zu
Leyffig, vnter abſch. d. Sub Exorcismi
M. Georſij Leyſtanij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO III.

Ex articulo primo Augustanæ confessionis.

DE PERSONA-
RVM IN VNA DIVINA
ESSENTIA DIFFERENTIIS,
notis caracteristicis, ordine :

ET

DE GENERATIONE AC DIVI-
nitate filii Dei æterna.

Cujus Theses

Christo Auxiliante

Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. S.
Theologiæ D. & Professoris in alma VVi-
tebergensi Academia defendet

M. ZACHARIAS SOMMERUS,
Fridbergensis, Sil.

Ad diem 6. Augusti. horis locoq³ solitis.



VVITEBERGAE,
Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.

DISPUTATIO III
Ex articulo primo sequuntur conclusionis

DE PERSONA

RVMI IN VNA DIVINA

ESSENTIA DIFFERENTIA

DE GENERATIONE AC DIVI

nitatis in Deo

Carolo Alexandro

2ab p[ro]f[ess]ore

LEONHARTI HUTTNERI, S. S.

Theologi D. et Prof[ess]oris in Vni

versitate Lipsiensi

et

1711

Wittenbergae

apud Johannem Christianum



DISPUTATIO

De differentiis, notis characteristicis, & ordine
personarum divinitatis:
Et de aeterna Generatione ac Divinitate
Filii Dei.

THESIS I.



Ria sunt praecipua rerum capita, quae in disputatione
praesenti nobis erunt excutienda: I. Personarum Divi-
nitatis, tum à se invicem, tum ab Essentia divina, diffe-
rentia. II. Notae sive Characteres differentiarum in
Personis Divinitatis, earumq; ordo. III. Aeterna Filius
Dei & generatio & divinitas.

II.

De singulis istis, secundum praescriptum verbi divini, pro dispu-
tatione hac tertia, nobis cum deo erit disquisitio.

CAPUT I.

De personarum inter se invicem, & ab Essentia Divinita-
tis differentia, & Ordine.

III.

Initio autem illud ex disputatione proxima repetendum. Etsi di-
vinitatis essentia, partibus Essentiae suae minime est dividua, quippe quae
simplicissime unum, & ὁ αὐτὸς ὁ αὐτὸς: nihilominus tamen fieri dividuam
per & propter differentias essentielles, quas Ecclesia vobis & ois, sive
personas indigitat: quarum causa sit, ut Personis trina credatur dica-
turq; esse una atque eadem D E I essentia. seu unus & trinus Deus esse,
religiose statuatur: Pater nimirum, Filius & Spiritus Sanctus.

IV.

In hac diversitate & multitudine, Quid tum personae inter sese
invicem, tum vicissim, quid ab ipsa divinitatis essentia differant, Quare
solet.

42

CON.

V.

Concernit autem Quaestionis huius sensus non $\tau\epsilon\iota\delta\epsilon\iota$ $\delta\epsilon\iota$ An sit aliqua
tum mutua Personarum inter se, tum etiam ab Essentia divina differen-
tia: Nam aliquam esse vel inde constat, quia eam negat absolute regna-
tura esse Identitas, & $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$ idem foret, quod $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\epsilon$: rursus
 $\upsilon\pi\acute{o}\sigma\alpha\sigma\iota\epsilon$ idem quod $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$: imò Pater futurus filius: Filius futurus
Pater: & sic deinceps. Qua ratione totum divinitatis mysterium de
Essentia unitate, & personarum trinitate annihilari & everti, nemo
tam est bardus, qui intelligat.

VI.

Et vitiosissime ab Essentia Divina unitate, ad simplicem & abso-
lutam identitatem fit collectio: quemadmodum vice versa, ex plurali-
tate aliqua statim ad ipsius Essentiae pluralitatem rursus perperam in-
fertur Consequens.

VII.

Quaest. &
resp. 179.
ad Orth.
377.

Quemadmodum enim, uti rectè Iustinus, Philosophus &
Martyr, hac de re disserit; $\kappa\alpha\iota\ \delta\iota\alpha\phi\omega\rho\epsilon\alpha\ \tau\eta\omega\ \tau\eta\varsigma\ \upsilon\pi\acute{\alpha}\rho\chi\epsilon\omega\varsigma\ \tau\eta\sigma\omega\omega\mu$, $\delta\upsilon$
 $\delta\iota\omega\gamma\epsilon\ \tau\eta\ \epsilon\upsilon\ \delta\upsilon\sigma\iota\alpha$: $\delta\ \mu\epsilon\upsilon\ \gamma\alpha\rho\ \tau\eta\varsigma\ \upsilon\pi\acute{\alpha}\rho\chi\epsilon\omega\varsigma\ \tau\eta\sigma\omega\omega\mu$ $\delta\upsilon\delta\epsilon\rho\sigma\omega\upsilon\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota$
 $\pi\epsilon\sigma\theta\epsilon\ \tau\omega\ \tau\eta\varsigma\ \delta\upsilon\sigma\iota\alpha\epsilon\ \lambda\omicron\gamma\omega\upsilon$: hoc est, Differentia existentiae modorum
non dividit Essentia unitatem: Siquidem existentiae modus nihil con-
fert ad Essentia rationem.

VIII.

Ita unitas Essentiae non prohibet, quò minus alio respectu unum
& idem distingui possit: id quod vel exemplo Anima est manifestum,
qua $\kappa\alpha\tau\ \delta\upsilon\sigma\iota\alpha$ una, interim tamen ratione $\delta\upsilon\omega\acute{\alpha}\mu\epsilon\omega\upsilon$ sive facultatum
maximè est dividua.

IX.

Respicit ergò Quaestio proposita $\tau\eta\ \omega\iota\omicron\tau\omega\mu$, Quis nimirum vel Qualis
sit differentiarum istarum modus.

X.

Consideratur autem modus iste, vel respectu differentia persona-
rum, inter sese invicem consideratarum; vel respectu Essentiae divinae,
qua qualibet persona, non ex parte (nullam enim habet) sed ex toto
communicat.

XI.

Priore modo consideratae tres illae personae in eadem Divi-
nitatis Essentia, Producentium & productorum rationem obtinent,
et proinde nunquam una dici potest aut predicari de altera: neq; una
alteri



alteri inesse, vel tanquam pars constituens, vel ut accidens quoddam: Sed prorsus sunt & manent incommunicabiles, ita ut neq; Pater unquam possit esse Filius, aut vice versa, Filius Pater, neq; Spiritus Sanctus possit esse alteruter.

XII.

Ex quo consequitur, ut tria hæc, sive tres hæc personæ, quamvis respectu unius numero Essentia divina, non tam communicare, quam unum aliquid simpliciter esse dicuntur; differant à se invicem non Essentialiter: Hac enim ratione Essentia divina in tres separatas ac distinctas Essentias discernere.

XIII.

Non etiam τοῦ λόγου sive ratione, hoc est, nudis aut inanibus tantum relationibus: Hoc enim pacto una duntaxat foret persona, quæ modo pater, modo Filius, modo Spiritus Sanctus diceretur, Quod Sabellii fuit delirium.

XIV.

Quum perversam opinionem Iustinus refutans inquit, οὐ τὰυ-
τῶν τῶν πατρὶ ὁ ἦρ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον: τὸ μὲν γὰρ ἀγέννη-
τον, καὶ γεννητὸν, καὶ ἐκπορευτὸν, οὐκ οὐσίας ὀνόματα, ἀλλὰ τῶν
ποιῶν ὑπόθεσεως.
Expos. fid.
de recta
Conf. f.
292.

XV.

Sed differunt Personaliter & incommunicabiliter: Quam differentiam Scholastici Doctores Realem appellare consueverunt, accepto hoc termino non sensu Philosophico, quo Realiter differre, est Essentialiter, sive ipsis subjectis distinctum esse. Verum per (Realiter) nihil intelligentes aliud, quam quod non verbotenus, non ἡ φράσις duntaxat & modum loquendi: sed revera ab altero est distinctum.

XVI.

Hujus discrimina respectu patris & creditur, & verè dicitur, quòd revera alia sit persona Patris: alia Filii: alia Spiritus Sancti, ac proinde quælibet etiam (respectu hujus τῶν ὑποθέσεως ὑποθεσεως καὶ, ut Iustinus loquitur) propriam & ab altera distinctam definitionem habeat.

XVII.

Majoris σαφηνίας ἕνεκα, exemplo Animæ rem rursus illustremus. Quemadmodum enim ea per essentiam una, facultatibus est dividua non essentialiter, non λόγῳ duntaxat; sed realiter inter se discrepantibus: quarum respectu sentiens aliam definitionem, quam

appetitiva: hæc aliam quàm illa: Rationalis aliam, quàm utraq; illarum obtinet: Ita DEVS οὐσία & numero unus & individuus, rationibus tamen hypostaticis ita differt, ut trinus sit personis, non nomine tantum sive λόγῳ: sed revera & definitione distinctis.

XVIII.

Ελεγχεται hinc Trithearum hæresi refutanda subserviens desumi potest, qui Personarum Divinitatis Essentiali discrimine constituto, eo planè modo tres personas in divinitate esse opinabantur, quo tres differentes homines, tres Personæ dicuntur: & sic partim ignorantia, partim cecitate mentis decepti, unitatem Essentia divina in tres essentias nefarie distraxerunt, & tres distinctos DEOS blasphemè introduxerunt.

XIX.

Ceterum, quoad Posteriores respectum, quo Personæ Divinitatis non inter sese invicem, sed cum ipsa Divina Essentia conferuntur: Quisnam & qualis differentia Modus sit constituendus, fuerit diligenter considerandum.

XX.

Neq; enim in divinis οὐσία & ὑπόστασις, sive Essentia & Persona prorsus sunt unum & idem: sed vel inde differentia aliqua ratio exortur, quòd Essentia divina, tribus hæc personis (incommunicabiliter tamen illis erga se mutuò habentibus) & quidem singulis non ex parte, sed ex toto est ἀδιαιρέτως communicabilis.

XXI.

Quo nomine sit, ut οὐσία & ὑπόστασις non per omnia eandem rationem & definitionem habeant, sed aliquo modo differant: non quidem, quòd omnes tres personæ simul sunt & conjunctæ ulla ratione, sive modo, eoque vel essentiali, vel Reali, vel rationali, differant: Nam singula personæ simul junctæ, nihil sunt aliud, quàm unica illa divina essentia: & hæc extra personas illas, ne ἰχνοῦς ἐπινοίας, ut Damascenus loquitur, cogitari vel potest vel debet.

XXII.

Sed singula personæ seorsim considerata, ab Essentia divina statuuntur differre, sed duntaxat τῷ λόγῳ sive Ratione: Quem differentia modum Scholastici Formalem nominare consueverunt, qui tamen locum habere potest, quando unum de alio respectu & causâ Essentia prædicari

dicare quidem potest: Sed nihilominus contradicentia prædicata enun-
tiari de utrisq; possunt; Ut communicabile & Incommunicabile: quo-
rum hoc de D E O & Essentia, illud de Persona intelligitur.

XXIII.

Hoc respectu DEVS & Pater, DEVS & Filius dicuntur dif-
ferre τὸ λόγῳ sive ratione, quia licet unum sint ὁμοία & Essentia: in-
terim tamen aliud prædicari potest de Patre, & Filio, nempe quod pa-
ternitas & Filiatio planè sint λόγοι rationes, incommunicabiles: aliud
verò de D E O sive Essentia, cujus λόγῳ sive ratio est communicabi-
lis.

XXIV.

Magnum habent isthæc, quæ hætenus disputata sunt, pondus &
momentum ad difficilimas enodandas quæstiones, quæ in hoc mysterio
moveri solent.

XXV.

Quando enim queritur, si (DEVS) dicitur de Patre, & præ- Quæstio.
dicatur etiam de Filio, consimiliter de Spiritu Sancto, an non sequatur
tres esse D E O S: expedita dari poterit responsio.

XXVI.

Æquivocè nimirum vocabulum D E I significare, quando de per-
sonis singulis seorsim seu separatim: & de tribus personis simul seu con-
junctim prædicatur.

XXVII.

Priore illo modo, quando de Personis sigillatim dicitur, non ab-
solutè & simpliciter, sed cum determinatione quadam significat, ut in-
telligatur DEVS vel gignens, vel genitus, vel procedens.

XXVIII.

Posteriore verò modo, quando de omnibus personis simul dicitur,
vùm simpliciter usurpatur, & una Divinitatis Essentia, non Persona-
rum discrepantia notatur: Quia semper cum Trinitate unitas, & cum
unitate Trinitas conjungenda est.

XXIX.

In Confessione enim religiosa de D E O, semper duo ista sunt ἀντί-
στοιχα, unitas nimirum & Trinitas; sic, ut non à Trinitate ad Trini-
tatem, nec ab unitate ad unitatem, sed semper decussatim, & quasi κατὰ
ἐναλλάξ (si modò ita loqui fas sit) ab unitate ad Trinitatem, & à Trini-
tate ad unitatem sit procedendum.

XXX.

Sic quando queritur, Quomodo unus numero sit DEVS, aut una numero divina Essentia, cum quodvis numero unum (si modò intelligens quiddam fuerit) Persona nomen & definitionem sortiatur; Essentiam autem sive naturam divinam pro persona haberi, Christianæ vetet religio: Et rursus; Cum nullum numero unum sit communicabile aliis: Essentia autem divina sit communicabilis, nempe tribus personis: E. vix videri verisimile, unam numero Divinitatis esse Essentiam? & c. rectè rursus ex his, quæ suprâ disputata, petenda fuerit decisio.

XXXI.

Monstrant enim ea, ex ὁμωνυμία vocabulorum istas oboriri objectiones. Siquidem Personam esse, & numero unum esse, non eadem paritè significatione valent in divinis, qua in rebus creatis usurpata consueverunt.

XXXII.

Sed utimur hisce vocabulis, tanquam similitudine quadam, rem mysterio planissimam aliquatenus declarantibus.

XXXIII.

Proinde quando dicimus, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum non esse tres numero DEOS, sed unum numero DEVM, hoc sensu id accipiendum est, quòd horum trium una numero sit essentia, quæ nihil sit aliud, quàm hæc ipsa tria, quæ in Theologia Personæ appellantur: sed quod in natura rerum, de tribus Individuis Logicis, καὶ τρεῖς ἀδιαίρετοι, affirmare, veritas non permittit.

XXXIV.

Pariratione, cum una Divinitatis Essentia, tribus personis communis esse perhibetur, nulla est intelligenda μετοχή τῆς οὐσίας: qua aliis tribus Individuis humanis, sub una & eadem specie, intercedit communio; Unde & eadem ipsorum est definitio.

XXXV.

Multò verò minùs Accidentis duntaxat alicujus, vel proprii, vel communis statuenda est communio.

XXXVI.

Sed peculiari illo modo, quo (si modò aliqua ex parte similitudine sive Exemplo rem declarare licet) respectu diversarum potentiarum animæ, una & communis esse dicitur Essentia animæ humane, quæ sit, ut anima ipsa nihil sit aliud, quàm quatuor istæ potentia:

tia:

sia: & rursus, hæ ipsa potentia, Animæ ipsius humana Essentiam numero unam constituent.

XXXVII.

Verùm de capite hoc primo isthac sufficiant, quæ si fortè cuipiam abstrusiora, ac nimis sublimia videbuntur, in eum illud Nazianzeni deflellimus: οὐ παντὸς, οὐχ οὕτω τῆτο τὸ πρᾶγμα ἔυωνορ, καὶ τῶ χαμαὶ ἔυχόμενωρ: & magis cum Theodoro statuimus, τὰ μὲν κερυμμεῖα οὐ δεῖρ ζητῆρ; τὰ δὲ δεδκλωμένα οὐκ παντελῶς ἀγνοῆρ.

Caput II.

De Notis, sive characteribus differentiarum in Personis Divinitatis: & harum Ordine.

XXXVIII.

Notas, sive characteres differentiarum in personis Divinitatis, cum Orthodoxa Ecclesia duplices constituimus: alias internas, propriissimas, ac prorsus incommunicabiles: externas alias, minus proprias, ac proinde communicabiles.

XXXIX.

Prioris generis respectu, Patris proprietates characteristica est, esse ingenitum, & à nullo vel processione, vel quavis ratione alia esse productum: sed genuisse Filium ab æterno sibi ὁμοῦστωρ ἢ σωῶστωρ: Filii, genitum esse ab æterno in Divinitatis essentia: Spiritus sancti, à patre Filioq, modo planè ineffabili, ab æterno procedere.

XL.

Posterioris generis characteres externi sunt Creatio, quæ Patri: Restitutio sive Redemptio, quæ Filio: Sanctificatio, quæ Spiritui Sancto in Ecclesia adscribitur.

XLI.

Hi, cum ex patefactione tantum externâ, & notitiâ quoad nos, suam traxerint originem, Communicabiles statuuntur: & ab internis illis sunt diversissimi.

XLII.

Quemadmodum enim Internis illis, instar specificarum differentiarum, nihil inter se prorsus commune est: ita in his externis vulgata illa Augustini valet regula: Opera quoad extra, communia sunt totius Trinitatis, adeò ut in his una persona agat cum communicatione alterius.

B

Atro

XLIII.

Atro hic carbone meritò notandos eos esse, externi hi Characteris-
mi admonent, qui vel mundum istum ab aeterno fuisse, vel ex atomo-
rum confluxu temerè concrevisse delirant. Quod certè nihil est aliud,
quàm ipsum DEUM prorsus ignorare.

XLIV.

Ordo per-
sonarum
Divinita-
tis.

Interim verò characteres Ordinem Personarum nobis aperiunt,
quòd nimirum Pater prior sit Filio: Pater & Filius Spiritu sancto.

XLV.

Quæ Prioritas (ut sic loquamur) non pensatur ratione tempo-
ris aut dignitatis: Hujus enim respectu nihil prius aut posterius, nihil
majus aut minus, sed omnes tres personæ sibi prorsus sunt coæternæ &
coæquales, uti Athanasius piè in suo confitetur Symbolo.

XLVI.

Sed ratione sive ordine productionis Filius à Patre, Spiritus
sanctus ab utroq; esse, rectè creditur: adeò ut piaculum sit, promiscuè
vel hanc, vel illam personam Deitatis dicere primam, secundam & ter-
tiam.

XLVII.

Quem Ordinem hypostasium divinarum ipse quoq; Servator in
Baptismi institutione exprimit, inquiens: Baptizate in nomine Patris,
Filii & Spiritus sancti.

XLVIII.

Matth.
28. 19.

Etsi verò Pater primam personam constituit, Filius Secundam,
Spiritus sanctus tertiam, & sic in Deitate est $\alpha\delta\delta\theta$ & $\omega\delta\delta\theta$; ac
proinde Patri principatus originis ascribitur: nulla tamen Patri ma-
jor vel perfectio, vel Majestas, vel ulla alia prærogativa præ cæteris
personis tribuitur: vel quicquam $\alpha\delta\delta\theta$ & $\omega\delta\delta\theta$ cogitatur. Sed dunta-
taxat producentium & productorum series ac ordo notatur.

XLIX.

Quemadmodum enim una prorsus & eadem ad numerum est
divinæ Divinitatis, qua Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sine ulla in-
æqualitate aut graduum differentia communicant: Sic etiam tantum
Divinitatis habet Filius, tantum Spiritus sanctus, quantum & Pater
habet: hoc est, una & communis omnibus tribus personis est Divini-
tas, Majestas, gloria, vita, &c. ita ut vel minimam inæqualitatem co-
gitare nefas sit.



L.

Moventur in hoc capite de characteribus personarum Divinitatis
varia quaestiones: An Personae in Divinitate, & proprietates personae
differant? Seu quod idem est: An Pater & gignere: Filius & gigni:
Spiritus sanctus & procedere sint unum & idem? Item, An Pater sit
Subiectum, Gignere verò Accidens?

L I.

Verum simpliciter respondemus: Non liquet. Est enim hoc
mysterium $\mu\omicron\nu\acute{o}\tau\epsilon\sigma\pi\omicron\upsilon$ & $\acute{\alpha}\gamma\gamma\iota\sigma\tau\omicron\upsilon$: & vocabula illa Logica Subjecti &
Accidentis penitus respuit.

L II.

Quod si tamen aliquid dicendum fuerit, sufficere arbitramur hanc
responsionem, quod Persona & proprietates characteristica differant, ut
subsistentia & modus subsistentiae: $\acute{\upsilon}\pi\alpha\rho\alpha\gamma\epsilon\iota\varsigma$ η $\tau\eta\sigma\omega$ & $\acute{\upsilon}\pi\acute{\alpha}\gamma\epsilon\iota\omega\varsigma$, ut
Iustinus loqui solet.

Caput III.

De aeterna Generatione, & Divinitate
Filii Dei.

L III.

Cum de Persona Patris, quae disertè DEUS nominatur, Iob. 17,
3. & 1. Cor. 8, 6. nulla certamina peculiariter & in specie sint mota: Patero
nisi quatenus in genere nonnulli haeretici oppugnârunt totam Trinita-
tem, ut Patripassiani: quorum tamen opinio sua & impietate & futi-
litate concidit, de filii persona in sequentem disputationis partem esse vo-
lumus.

L IV.

Duobus tamen quasi $\omega\rho\acute{\iota}\sigma\mu\alpha\sigma\iota$ universam de DEO Patre quae-
sionem includimus: I. non κατ' ἀνθρώπων ὁμολογίαν, sive per alium quem-
piam Tropum, sed propriissimè primam personam Patris nomine appel-
lari, à proprietate interna, respectu Filii, quem ab aeterno genuit sibi
 $\acute{\omicron}\mu\omicron\delta\sigma\iota\omicron\upsilon$.

L V.

II. Denominationem istam eidem competere, non ratione talis ali-
cujus proprii, quo ab una duntaxat persona distinguatur: quale est,
 $\acute{\alpha}\gamma\epsilon\iota\omega\tau\omicron\upsilon$, Ingenitum esse: Id quod Spiritui etiam sancto competit: Sed
respectu ipsius actus sive facultatis generativae, quae neq; Filio, neque
Spiritus sancto convenit.



LVI.

Ceterum, ut ad Secundam Divinitatis personam veniamus, FILIUM nimirum, daa cum primis de eo Quaestiones propter varias variorum haeticorum strophas, in disquisitionem veniunt: Quarum prior est, de aeterna ejus Generatione: Posterior, de ejusdem Divinitate.

LVII.

Hier. in Sym. Ruf. Etsi verò D. Hieronymo admonente, fas non est servo, de naturalibus Domini sui disputare: & unigeniti ex patre generationem, silentio venerandam, Basilus admonet: Quin scriptura ipsa eam ἀγέντωρ planè & ἀκατάληκτορ pronunciat: nihil tamen ob stare arbitramur, quin scripturarum secuti oracula, inq̄ veræ pietatis studio, non rationis, sed fidei oculo mysterium hoc metientes: Quid mens pia de Generatione Filii DEI credere necessum habeat, paucis indagemus.

LVIII.

Eodem sanè pietatis studio, Nicenæ Synodi Patres flagrantes, Filium Lumen de Lumine, suo in Symbolo definire quasi voluerunt.

LIX.

Hebr. 1,3. Et Epistola ad Hebræos, eundem ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς καὶ χάρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ appellat.

LX.

Et sanè nisi de generatione Filii, (Genitum enim esse, interna Filiis est proprietas characteristica) indubitato nobis constiterit: de ipsa quoq̄ Filii existentia dubitandum erit: Filius enim non erit, si generatus non fuerit.

LXI.

Testantur ergo S. literæ, Patrem genuisse filium sibi ὁμοδοιορ ἢ ὁμοϊσδοιορ. Psal. 2, 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quem locum non de Davide, uti Calvinus iudaizat, sed de Christo exponendum esse, testis est omni exceptione major Epistola ad Hebr. cap. 1, 5. & cap. 5, 5. Et Petrus Act. 4, 25. & 26.

LXII.

Quo respectu Iob. 1. 24. 3, 16. item, I. Iob. 4, 9. nominatur Unigenitus a Patre: Col. 1, 15. πρωτότοκος τῆς κτίσεως, primogenitus omnis creaturæ: Qui termini aeternæ hujus generationis notationem habent.

LXIII.

Quin ipsum quoque nomen Filii in Scripturis passim reperitur, Matth. 16, 16. 28, 19. Iob. 1. 18. & 34. cap. 3, 17. & 18. Rom. 8, 3. Gal. 4, 4. & c.

LXIV.

Pari ratione & illud de Generatione hac constat, quòd sit aeterna: Psa. 2, 7. Siquidem Filius à Patre genitus in aeterno illo HODIE, ad quod nulla prorsus temporum διασμάτα pertingunt, sed nihil est aliud, quàm aeternum quoddam Nunc, quin ipsa Aeternitas, qua à DEO inhabitari dicitur. Ies. 57, 15.

LXV.

Quo sensu Prov. 8, 14. Sapientia, quam Orthodoxi omnes λόγος seu Christum esse unanimi consensu intelligunt, se genitam & formatam esse ait, antequam Mundus conderetur, hoc est, ab aeterno, quia ante creationem nullum Tempus, sed absoluta fuit aeternitas.

LXVI.

Quò respiciens Propheta egressum Christi à diebus aeternitatis esse testatur. Mich. 5, 2. Et Christus Iob. 17, 5. ea se petit glorificari gloria, quam habuerit apud Patrem, prius quàm hic Mundus esset: Et Apostolus Christum nominat θεωτότοκος πάσης κτίσεως, certè non humanae naturae assumpta, cui hoc propriè non competit, sed divina respectu: ipso hoc fatente Apostolo, dum subjicit: Eum esse ante omnia, & omnia per eum condita esse & subsistere.

LXVII.

Ceterùm de Modo aeternae hujus generationis & olim quaesitum variè: & nostro etiam seculo inter doctos disceptatum fuit.

LXVIII.

Fuerunt enim multi, & quidem magni nominis Theologi, inter quos primas facile tenet Philippus Melanchthon, qui asseruerunt: Filium DEI cogitatione à patre genitum esse, qua Pater se intuens ac considerans gignat quandam substantialem sibi imaginem, & permanentem: Sicut nostra mens accidentalem & evanescentem, nec tamen substantialem imaginem gignit.

LXIX.

Et praeter alias causas, etiam ob hanc Filium DEI nominari λόγος, quòd Pater semetipsum intuens, gignat cogitationem sui, Quae est imago ipsius non evanescentis, sed subsistens.

LXX.

Hanc opinionem rursus alii oppugnârunt, eamq; cum ὑποτιθέσθαι
 ὁμοιωμάτων λόγῳ minimè consentire, iudicârunt.

LXXI.

Et sanè sunt pro utraq; parte argumenta & rationes minimè le-
 ves, quas paucis delibere haud fuerit inconveniens.

LXXII.

Matth.
 Flacius
 Illiricus,
 D. Iohan.
 VVigandus,

Qui igitur Negativam contra Philippum defendebant, his potissimè
 se moveri rationibus sunt testati:

- I. Quia hic modus sacris in literis nuspiam exprimitur.
- II. Quia ex patribus nemo expressis verbis, hunc generationis filii
 DEI modum unquam definivit, quibus tamen tum contra Arianos, tum
 alios hereticos, summa cura articuli de aeterna Divinitate & Generatio-
 ne Filii DEI defendendi incubuit.
- III. Quia iidem Patres multis admonent, ne quis in aeternam hanc
 generationem Filii DEI inquiret: Quorum testimonia magno numero
 collecta reperiuntur in scripto VVigandi, de hac ipsa questione, anno
 1590. in lucem edito. fol. 4. & seqq.
- IV. Quia hæc sententia videtur somnium esse stultæ rationis, imò
 Valentinianorum, Basilidis, Samosatani, & aliorum hæreticorum ἑ-
 θυμίας, hoc est, cogitationi, patrocinari: imò recentius Serveti deli-
 rium postliminiò quasi in Ecclesiam reducere. Vide Irenæum l. 2. cap.
 48. & 49. Hist. Magd. Cont. 2.
- V. Quia occasionem multis absurdis & impiis speculationibus præ-
 bet: id quod ex Osiandri somnio, cui hanc opinionem fundamenti loco
 substravit, patet.
- VI. Quia Filius DEI λόγῳ dicitur, non ob hunc generationis
 modum: Sed quia partim per istud verbum sive λόγῳ omnia condita
 sunt. Gen. 1, 3. Psal. 33, 6. Ioh. 1, 3. partim quia Filius, qui est in sinu
 Patris, nobis revelavit mysterium Evangelii, æternis temporibus taci-
 tum, & c. Ioh. 1, 18. Rom. 16, 25.

LXXIII.

Rursus, qui Affirmativam sunt tuiti, i. Orthodoxorum Patrum
 autoritate se stare dixerunt, Qui Filium DEI non tantum ratione Crea-
 tionis, aut revelationis mysteriorum Evangelii: Sed & respectu Patris,
 & quidem æternæ hujus generationis λόγῳ appellatum statuunt: ut
 videre est apud Basilium in sermone super verba Iohannis, (in principio
 erat

erat verbum :) Et Greg. Naz. orat. 2. περί τοῦ λόγου: "Item Hilarium
l. 2. de Trin. Cyrillum, & alios complures.

LXXIV.

Et profectò si paulò altius Scripturarum oracula excutiamus,
haud videtur verisimile, saltem ob duas illas causas, jam enumera-
tas, Filium λόγου appellari.

LXXV.

Primum enim constat non tùm demùm Filium cœpisse esse λόγου,
sed fuisse ab omni aeternitate. Ioh. 1, 1. In principio erat Verbum. & non
respectu creationis duntaxat, & externi officii hoc nomine indigitatur
à scriptura.

LXXVI.

Deinde idem Evangelista demonstrat, λόγου ab aeterno fuisse apud
DEUM, imò fuisse DEUM. E. respectu DEI λόγου appellare, & con-
versationem illam, qualiscunque tandem sit, inter Patrem & Filium ex-
primere, adeoque haud obscure ad aeternam ejus generationem, digitum
quasi intendere voluisse, videtur Evangelista,

LXXVII.

Huc accedit, quòd Iohannes totus eo loci est in demonstranda divini-
tate Filii, contra Ebionis & Cerinthi praestigias: Haud E. probabile,
ipsum usum esse argumento, petito à nomine officii & temporario.

LXXVIII.

Neque locum habere potest, quod fortè quis objiciat, Filium
DEI dici λόγου, ratione decreti, jam inde ab ultima aeternitate in sacro-
sancta Triade facti, quòd videlicet aliquando debeat λόγου fieri respe-
ctu & creaturarum, & externi officii.

LXXIX.

Consequens enim foret, 1. Filium DEI non propriè esse λόγου,
sed κατ' ἀνθρώπου πάθειαν. 2. λόγου, ut λόγου, non esse secundam Divi-
nitatis personam, neq; λόγου concurrere ad productionem Spiritus san-
cti: Id quod universæ nostræ Religioni dicam scribit.

LXXX.

Vnde quarto loco illud etiam emergit argumentum: Si λόγου unà
eum Patre communi & aeterno Spiraculo Spiritum sanctum producit,
certè non decreti duntaxat respectu λόγου dicetur: Siquidem hoc de-
cretum, etiam à Spiritu sancto communi Trinitatis consensu est factum.

LXXXI.

Quin, si nullo alio, & quidem magis proprio, quàm externi
solummodo

solummodò officii respectu λόγος in scriptura nominatur: Consecrari-
um fuerit, ipsum quoque Patrem & Spiritum Sanctum posse appellari
λόγος: Siquidem secundum illud Augustini, Opera Trinitatis ad ex-
tra sunt communia. At posterius hoc est falsum. Ergo & prius.

LXXXII.

Et quæ tandem obsecro causa foret, quòd tam sollicitè & accu-
ratè Theologi distinguunt inter duo isthæc enunciata: Filius est λόγος
respectu Patris ab æterno: Et Filius est λόγος respectu creationis &
officii: & priorem quidem absolute necessitatis; posteriorem verò ne-
cessitatis ἢ ὑποθέσεως esse contendunt: nisi alia, præter duas supra
commemoratas, superesset causa, respectu cuius Filius λόγος in scri-
pturis appellaretur: quæ quò minus etiam respectu æterni Patris, & æ-
terna generationis intelligatur, nihil ob stare videtur.

LXXXIII.

Quid igitur? Cuiam parti subscribendum tandem fuerit? Nem-
pe medio tutissimus ibis; & ἔωχὴ πια rectissime hanc litem dirimet,
quæ in sensu futuræ experientia, quàm divinationum σκέψις certio rem
questionis hujus solutionem statuit.

LXXXIV.

Ἐπιχειρήματα tamen nostram si quis requirat, probabiliorem nobis
eorum videri sententiam respondemus, qui modum hunc æternæ ge-
nerationis, in cogitatione Patris, & conspectu sui ipsius consi-
dere negant.

LXXXV.

Etsi enim concedi potest, imò prorsus credendum, Filium DEI
λόγος appellari, non duntaxat vel creationis, vel externi officii: Sed &
æterni Patris, & quidem hujus ipsius generationis respectu: inde ta-
men statim dictum Generationis modum velle extruere, minimè fuerit
Consequens.

LXXXVI.

Nam quamvis scriptura, ad captum intellectus nostri συγκρα-
ταίνω, in describendis hujusmodi Mysteriis, iis utitur vocabulis, ut
λόγος, ὑπόθεσις &c. quorum usus in vita etiam humana obtinet: mi-
nimè tamen imagines & similitudines, vel ratiocinationes, ex iis secun-
dum rationis nostræ præscriptum, & vocabulorum illorum valorem hu-
manum, licebit Articulis fidei assuere: ἐλαττώται μὲν γὰρ πᾶρ
ωγάδες γὰρ, ut Iustinus noster loquitur.

Q. oad

LXXXVII.

Quoad Patrum autoritates, quæ pro Philippi sententia defendenda producuntur, Respondemus 1. nos ea minimè obligari: Ad legem enim & ad Testimonium. Ies. 8. 2. eam esse Patrum sententiam, ut saltem aliquibus similitudinibus simpliciorum fidem sublevent. 3. ut quæ ostendant, sicut verbum humanum in mente humana impassibiliter gignitur; ita impassibilem quoq; Patris esse generationem Filii. 4. Quare nusquam modum, Philippistarum more, definiunt, quòd Pater semetipsum intuendo & cogitando, abstraxerit sui ipsius imaginem, cui essentiam suam communicarit, atq; impresserit.

LXXXVIII.

Quare, ut tandem Quæstioni huic finem imponamus, sententiam hanc Philippeam de modo Generationis Filii DEI, minimè recipiendam esse concludimus: memores illius Prophetæ, Ies. 53, 8. Generationem eius quis enarrabit?

LXXXIX.

Credientes autem interim, Filium verè de ipsa Essentia DEI Patris esse genitum, ita ut pater Communicando (κοινωνία ἐμμέ-
υσταρ) intellige) totam suam essentiam, Filium, hoc est, aliam personam ex se genuerit: vel, quod idem est, ut Filius totam Essentiam Patris, hoc est, eandem & integram, quam habet pater & retinet, accipiendo & participando, à patre, ceu lumen de lumine, ut est in Symbolo Niceno, existat.

CX.

Evidens inde argumentum ad comprobendam aeternam divinitatem Filii peti potest & debet.

DIVINITAS FILII.

XC I.

Quia enim in hac inenarrabili generatione Filius non aliam ὄν-
τιαν sive substantiam, à Patris essentia diversam aut separatam accepit, aliam verò Pater ipse retinet: sed unam eandemq; essentiam & Pater & Filius prorsus ἀδιαιρέτως obtinet: Consequens est, Filium à Patre genitum, eiusdem essentiam non egredi; sed intra ipsius Patris substantiam, vel, ut Ioannes loquitur, in sinu patris permanentem, unam omninò & nulla usquam ratione divisam Deitatis esse ὁμοίαν, vel unum cum Patre esse DEVM, eiq; verè ὁμοῦσιον. Ioh. 1, 18.

XCII.

Sunt verò præterea duæ præcipuæ argumentorum Classes, quibus

6

bua



bus aeterna Filii Divinitas contra perfidos ejus abnegatores invictè demonstrari potest. I. sumi potest ex nominibus Iehovæ, & DEI. II. Ex proprietatibus & attributis, sicut DEI propriis, usq; vel essentialibus, vel operibus externis; & religioso adorationis cultu.

XCVII.

Quoad primam classem, Filium DEI verè DEVM, patriq; dno- & iop esse, sacrae literae non uno modo testantur: quippe quae nomen illud DEI propriissimum & essentiali illi adscribunt. Ierem. 23, 6, 33, 16. Sic I. Cor. 10, 9. Christus disertè nominatur Iehovah ille, quem Israelitae tentarunt in deserto, & contra quem murmurarunt. Num. 14, 26. & 27. Sic Matth. 3, 3. idem Christus est Iehovah ille, cui paranda est via. Ies. 40, 3. Sic Act. 2, 17. idem est Iehovah ille, qui effundit Spiritum Sanctum super omnem carnem, Ioel 2, 28. Sic Rom. 10, 13. idem est Iehovah ille, cuius nomen est invocandum. Ioel. 2, 32. Sic Ioh. 19, 37. idem est Iehovah ille, quem confixerunt Iudaei. Zach. 12.

XCVIII.

Sic Matth. 27, 9. idem est Iehovah ille, qui pretio triginta argenteorum in domum Domini projectorum est venditus. Zach. 11, 13. & c. Sic Ioh. 13, 4. idem est Iehovah ille, quem Iesaias vidit sedentem super solium excelsum & elevatum, cap. 6, 3. Sic Luc. 2, 34. & I. Pet. 2, 8. idem est Iehovah ille, qui futurus erat in Sanctificationem, & in lapidem offensionis, & Petram scandali, Ies. 8, 13, & 14, & c.

XCV.

Deinde Filius DEI disertè appellatur DEUS, Psal. 45, 8. Quem locum Epistola ad Hebraeos de Christo interpretatur. Heb. 1, 8. item, Ies. 9, 6. & 25, 9. Psal. 68, 18. Ioh. 1, 1. & 20, 28. Act. 20, 28. Rom. 9, 5. I. Tim. 3, 16. Tit. 2, 13. I. Ioh. 5, 20. & c.

XCVI.

Hinc passim in Novo Testamento vocabulum regis Christo tribuitur, quod in persona Christi voci DEI per omnia equipollere affirmamus.

XCVII.

Patet hoc primùm ex ipso scripturae usu, quo duo illa vocabula familiarissimè conjunguntur. Deut. 6, 4. Ies. 4, 5. Ioh. 20, 28.

XCVIII.

Deinde idem liquet ex ipsa rei evidentia, quam monstrat Aphorismus Apostolicus, I. Cor. 8, 6. Nam si secus esset, Pater Deus futurus esset,

esset, qui non esset rerum etiam omnium Dominus: Et Christus foret rerum omnium Dominus, qui tamen non esset DEUS: Quod utrumque sane non esset, nisi Oppositum in adjecto statuere.

XCIX.

Quoad alteram Probationum Classem, considerat ea partim attributa & proprietates DEI essentialia, quae Christo passim tribuuntur: partim etiam ex operibus externis, & cultu adorationis, solius DEI proprio, Divinitatem Filii astringit.

C.

Prioris generis sunt: I. Aeternitas. Ies. 9, 6. Iob. 1, 1, 17. 5. 1. Iob. 1, 2. Mich. 5, 2. &c. II. Infinitas, vel omnipraesentia, cujus respectu Christus ubique adest, ubique dominatur, ubique opitulatur, omnia denique implet, Matth. 18, 20. & 28, 20. Marc. 16, 20. Eph. 1, 23. & 4, 10. &c. III. Omniscientia, Matth. 9, 4. 12, 25. Iob. 2, 24. & 25. c. 16, 30. c. 21, 17. &c. IV. Omnipotentia, Iob. 5, 19. &c.

CI.

Posterioris generis sunt, Creatio, Providentia, Conservatio rerum omnium, collectio Ecclesiae, Institutio Sacramentorum, Opus redemptionis, Resuscitatio mortuorum, Miracula plane divina: Quae sane omnia de Divinitate Filii aperte testantur.

CII.

Tribuuntur autem haec omnia passim sacris in literis Christo: ut Iob. 1, 3. 5, 17. & 19. Eph. 1, 7. & 10. & 23, 3, 9. Col. 1, 16. & 17. Hebr. 1, 2. Hebr. 11, 3. Iob. 5, 26. 6, 39. & 40.

CIII.

Quoad cultum Adorationis religiosae, hunc quoque Christo deberi, & exinde Divinitatem ejus patere, Sacrarum rursus literarum testantur oracula. Matth. 8, 2. Iob. 5, 23. 14, 1. Act. 7, 59. 9, 14, 22, 26, 1. Cor. 1, 2. Phil. 2, 10. Hebr. 1, 6.

CIV.

Huc accedit, quod processio Spiritus Sancti à Filio, hanc ipsam divinitatem evidenter demonstrat: nisi enim unius ejusdemque cum Patre esset Essentiae, certe non unum eundemque, sed diversa plane spirarent spiracula.

CV.

Quin & illud sequeretur, Si Filius non verus esset DEUS, neque Spiritum Sanctum verum esse DEUM: quippe qui procedit à Filio. At hoc blasphemum, E. & illud.

CVI.

Dammamus ergo in genere omnes omninò hareses, quæ Divinitatem Filii vel negant prorsus; vel aliquatenus labefactant, vel (quod Calvinus fecit,) testimonia æternæ Deitatis Filii plurima, variis Strophis, lubricis & ambiguis glossis sic torquent & enervant, ut eorum ad convincendos Iudeos & Arianos nullus amplius usus esse queat.

CVII.

In specie autem singularum istarum haresewn Catalogum nobis exhibebit, Pars Articuli Confessionis hujus nostri & vñ d'vñ, quam sequenti disputationi, quæ erit de æterna Divinitate Spiritus Sancti, ejusq; processione à Patre & Filio, subjiciemus.

CVIII.

Tibi Christe Iesu, Fili DEI vivi sit laus, honos, gloria & gratiarum actio in secula æternitatis universa, AMEN;



7/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO III.
Ex articulo primo Augustanæ confessionis.

DE PERSONA- RVM IN VNA DIVINA

ESSENTIA DIFFERENTIIS,
notis characteristicis, ordine :

ET
DE GENERATIONE AC DIVI-
nitate filii Dei æterna.

Cujus Theses
Christo Auxiliante
Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. S.
Theologiæ D. & Professoris in alma VVi-
tebergensi Academia defendet

M. ZACHARIAS SOMMERUS,
Fridbergensis, Sil.

Ad diem 6. Augusti. horis locog³ solitis.



VVITEBERGAE,
Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.

